tipliciter variari posse logarithmorum formam. Etenim si duæ sint progressiones, quarum altera geometrica sit, altera arithmetica, & sub singulis primæ terminis singuli secundæ scribantur, undecumque initium fiat; hi dicuntur illorum *logarithmi*: at in vulgari logarithmorum systemate, numeri alicujus logarithmus vocatur exponens potestatis numeri denarii qui sit numero dato æqualis; ita a habeatur progressio geometrica ∺ 10^0, 10^1, 10^2, 10^3, 10^4, & infra scribantur eorumdem terminorum valores ∺ 1, 10, 100, 1000, 10000 &c. exponens 0 est logarithmus unitatis, exponens 1 est logarithmus numeri 10, & ita deinceps. At quia exponentes illi exhibent duntaxat logarithmos numerorum integrorum in progressione decupla 1, 10, 100, 1000 &c., necessum est præterea haberi logarithmos numerorum intermediorum 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 11, 12 &c. Qua ratione autem formari possint logarithmorum tabulæ breviter exponam; neque enim doctrinam hanc fusius explicare licet pro injuncta his elementis facilitate.

Ut habeatur numeri alicujus dati E. G. 3 logarithmus, oportet numerum hunc inveniri in progressione geometrica 1, 10, 100 &c. quod ex dictis patet. Porro quamvis non pateat numerum 3 locum habere posse in prædicta progressione, evidens tamen est, inferendo inter 1 & 10, terminos medios geometrice proportionales, obtineri numeros inter 1 & 10 eo proximius quo major est terminorum numerus, unde fiet ut horum terminorum mediorum aliquis vel